

Certum est autem ex hypothesibus istos hereticos coniugia damnasse , & liberorum procreationem tanquam diaboli opus esse auerlatos, cuius erroris parentem facit Carpocratem , & Tacianum Clemens Alexandrinus libr.3. Stromat. adeò ut infelicitas illius Carpocratianæ vel Encratitæ stirpis videatur hic error esse velut surculus quidam. Alii tamen à Gnosticis deducere tanquam à vero fonte malunt. Vt cunque malæ sementis pessima seges hæc fuit, quæ Satanæ astu, & castitatis speciosæ prætextu turpissima homicidia perpetrauit, dum isti se & discipulos & plures hospites exsecant: & grauissimum errorem induxit, dum à Deo ipso instituta coniugia reiiciunt & damnant: cum quibus etiam consenserent Paterniani, de quibus postea. Itaque ad Tacianos siue Encratitas tanquam ad propriam radicem istos referto. Extitisse verò & primùm innotuisse videntur post Origenem, cuius seculo variæ per vniuersam Arabiam hereses ortæ sunt, quæ admodum ex historiis apparet, & cuius etiam exemplo Valesii suam fortasse sententiam & errorum confirmarunt. Nam ille quum adhuc adolescentis esset, ad summæ castitatis comprobationem exsecuit sese & castrauit, vt scribit Eusebius libro 6. Histor. cap.8. quum dictum Christi, Matth. 19. versu 12. perperam intellexisset. quod Origenis factum hi fortasse sequuti, in omnibus Christianis idem habere locum voluerunt. Vnde nisi me fallit conjectura , huius heresis ortus sub Anthero Romano episcopo, & Juliano Philippo imperatore collocandus est, circa annum à Christo passo 216. Quanquā in primo concilio Niceno damnati sunt Christiani, qui se libidinis impatientia castrarent,

adeò